Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 363
Quelle:
Copyright:

Alcimus hec lubrico texi que carmina versu
Primis iam breuibus sed sena Volumina pennis
Conscripsi en celeris deno sub lumine solis.

Hos Versus, quorum nec *Sirmondus*, nec *Leyserus* aut *Fabricius* méminit, non Autoris, sed Descriptoris cujusdam esse puto, qui intra *Decem Dies* laborem suum exegerit; quomodo enim *Avitus* inter ceteras muneris sui curas tam paucis diebus Versus 3216. pepigisset? Igitur etiam *texit* legendum censeo pro *texi*, quod *Avitus* ipse vix adhibuisset pro *texuit*. Neque, quid sibi velit τὸ *Primis iam breuibus*, satis adsequor. Ceterum pluribus, si locus hic foret, haud difficulter ostendi posset, *Miltonum* in condendo suo *Paradiso* lectione Nostri non parum adjutum fuisse.

III. *fol.* 148. *Cecilij Cypriani episcopi Carthaginensis de ligno crucis carmen.*

Est locus ex omni medium quem credimus orbe,
Golgota iudei patrio cognomine dicunt. &c.

titulo *Ligni Vitae* inscriptum sub *Cypriani* nomine etiam in Collect. *Poetar. Vett. Ecclesiasticor. Ge. Fabricii, Basil.* 1564. p. 302. 4. legitur. Quidam Codices praenotant: *De Pascha.* Abjudicatum merito *a Cypriano* Critici *Victorino* tribuunt, nutant tamen inter *Petabionensem* et *Pictaviensem*, sub cujus nomine extat inter *Cypriani* Νοθα in edit. *Opp.* curata ab *Joh. Fello, Amst.* 1700. p. 139. f. ubi notatur e *Pamelio: Bedam de Re metrica* jam illud *Victorino Pictav.* adscripsisse, qua de re in meo quidem *Beda Colon.* 1688. f. nihil reperio. Cetera miror *Fellum* non magis usum fuisse *Fabricio*, cujus lectio pluribus locis praeferenda videtur. Atque cum ea conspirat Codex noster; legit tamen *renouati mentibus*, quod propius accedit ad Apostolum *Ephes.* IV. 23. pro *renovatis mentibus.* Ad calcem rubro additum: *Inueni in antiquissimo codice sed non legibili propter etatem quod magna pars corrosa erat, elegantissimum carmen Cecilij Cipriani de Resurrectione, quod quia transcribere non potui, ingemui sepe & dolui, doleam donec alterum exemplar se mihi offerat. Joh. Cuspiniani* nostri manus est. Verum moderare dolori, mi *Cuspiniane!* Ut-ut antiquum, *Cypriani* non est, neque etiam *Tertulliani*, ad quem retulit *de Judicio Domini* inscriptum *Fabricius* in Collect. *cit.* p. 256. Extat tamen ad *Tertulliani Rigaltiani* calcem *Paris.* 1634. p. 808. f. et rursus e Cod. *Corbejensi* 900. annor. vulgatum a *Martenio* in *Vett. Scriptor. et Monum. ampl. Collect. Paris.* 1733. T. IX. *col.* 1. f. Apud priorem incipit:

Quis